

ac primum silici scintillam excudit Achates  
succœpitque ignem foliis atque arida circum  
nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.  
tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma  
expediunt fessi rerum frugesque receptas  
et torrere parant flammis et frangere saxo.

175

Aeneas scopulum interea consœndit et omnem  
prospectum late pelago petiſ, Anthea si quem  
iactatum vento videat Phrygiasque biremis  
aut Capyn aut celsis in pupibus arma Caici.  
navem in conspectu nullam, tris litore œrvos  
prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur  
a tergo, et longum per vallis pascitur agmen.  
constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas  
corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,  
ductoresque ipsos primum capita alta fermentis  
cornibus arboreis sternit, tum volgus et omnem  
miscoet agens telis nemora inter frondea turbam;  
nec prius absistit, quam septem ingentia victor  
corpora fundat humi et numerum cum navibus aequet.  
hinc portum petit, et socios partitur in omnis.  
vina bonus quae deinde cadis onerarat Aœstes,  
litore Trinacio dederatque abeuntibus heros,  
dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:  
'o socii — neque enim ignari sumus ante malorum —  
o passi graviora, dabit deus his quoque finem.  
vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis  
accœstis scopulos, vos et Cyclopea saxa  
experti, revocate animos maestumque timorem  
mittite: forsitan et haec olim meminisse iuvabit.  
per varios casus, per tot discrimina rerum  
tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas  
ostendunt, illic fas regna resurgere Troiae.  
durate et vosmet rebus servate secundis.'

185

190

195

200

205

Talia voce refert curisque ingentibus aeger  
spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.  
illi se praedae accingunt dapibusque futuris:

210